



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Clemens Pap. M. 23. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

odore perfudit. Et fecit hic odor post Christum currere etiam Tiburtium Valeriani germanum, amboque ita in stadio Christiano cucurrerunt, ut bravium Martyres obtinerent. CACILIA è balnearum, quas tyrannus succenderat, flammis pulchrior, tribusque in collo vulneribus velut totidem montibus ornatior, cum triduum supervixisset, adeseque suos in templum vertisset. Martyrum vestigia velut paranymphorum insistens, cælum & ipsa petiit, & Agno denique nupsit minimè sterilis virgo, ut quæ moriens uno partu Christo cccc. peperit. *Ex Metaphr.*

Sunt plurima, quæ Angelis placent, & eos in nobis invenire delectat; ut est sobrietas, castitas, paupertas, voluntaria, crebri in cælum gemitus, & orationes cum lacrimis & cordis intentione. Super omnia unitatem & pacem à nobis exigunt Angeli patris. S. Bern. l. i. de S. Mich.

S. CLEMENS PAP. M. 23. Novembris.

PRODIT CLEMENS è D. Petri scholâ: virtutis primò magistri, tum insulæ etiam heres inter Pont. Max. tertius numeratur. Impietatis sub Trajano accusatus, & in exilium ultra Euxinum Pontum deportatus, munere suo nec in eâ quidem fortunâ oblitus est fungi, docuitque bis mille Christianos, quos ad latomias tyrannus damnaverat, præter saxa è terrâ patientiam eruere, ad quam verbis & exemplo erexit, & miraculis firmavit. Etenim cum aquæ dulcis penuriâ laborarent, eamque petere per VI. miliaria cogerentur, CLEMENS è proximo manate copiosam iussit, cum ipse Servator familiarem sibi Agnum indutus dextro pede & omne fontis indicium fecisset. Porro cum aquâ longè lateque miraculosa emanavit.

Et

Et jam ad trecenta miliaria faná Deorum evertebantur, undiq̄ue sanctis quingenti quotidie tingebantur; cum denique Procol. Aufidius Pontificem anchoræ illigatum in mare præcipitavit. Emicuit tamen ingens animus, & ad portum cæli enatavit. Ad preces deinde Christianorum mare cessit ad tria millia, structumque in imo à Cælitibus Martyri templum tumulumque è marmore ostendit, iterato quotannis deinceps hoc miraculo: quod auxit puer quandoque à parentibus per errorem illic relictus, annumque totum incolumis servatus. Frustrà igitur tyrannus mergete laudes CLEMENTIS mari voluit. Anchoram suam Martyr cælo fixit. *Ex Metaphr.*

Ecce beatus Clemens homo erat similis nobis, & carni sue eodem vinculo naturalis affectionis inherens; si ergo ille calicem salutaris accepit, quid nos retribuimus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? eadem certe insigniuit imagine, eodem sanguine nos redemit. S. Bern. serm. de Clem.

S. TRVDO CONE. 23. Novembris.

IN Hasbanienti agro spinas inter, hoc est, divitias patrias, educatus flosculus TRVDO suffocari tamen minime potuit, quin caput supra nubes puer tulit, eoque altius, quò profundius in se descendit. Itaque servulis suis inservire dominum TRVDONEM vidisses. Quam virtutem ut tegeret, vilissimos corpori vestiendo pannos injecit. Porro omnia etiam quæ per ludum egit, egit serio. Quare cum tumultuario opere & congestis temerè saxi facellum extruxisset, futuri operis sui hoc typum & votum voluit esse, quod reapse postea in provestâ ætate persolvit. Placuisse & operam